DE MORBIS CORPORIS CALLOSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE REGIA FRIDERICIA GUILIELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT

ET DIE XXXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVIII

PUBLICE DEFENDET

FRIDERICUS ERLEY

RUENDEROTHENSIS.

OPPONENTIBUS:

EUG. SCHNIEWIND, med. et chir. cand.
HENR. ULRICH, med. et chir. cand.
HENR. BIER, med. et chir. cand.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXVIII.

PRAECEPTORI ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MED. CHIR. PHILOS. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORDIN., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE MORBIS CORPORIS CALLOSI.

Symptomatologia.

Difficile est definitu, quae capitis pars corpori calloso respondeat, quum ipsum sub hemisphaera cerebri utraque situm locum obtineat a superficie ossea cranii valde remotum. Unicum signum externum, quo ducti corporis callosi formam et magnitudinem coniicere possimus, radicis nasi aut glabellae a spina occipitali externa mihi videtur esse distantia, quam a corporis callosi longitudine dependere liquet. Gall aliique saepius hanc distantiam dimensi sunt. Corpus callosum multum ad humanam capitis formam afferre eo probatur, quod omnium generi hominum Caucasico adscriptorum caput in utroque latere sit compressum, ita ut tuberum parietalium inter se distantia multo sit minor, quam glabellae a spina occipitali; hominum contra generis Aethiopici et Mongolici caput formam obtinet potius rotundam et globosam, aeque a corporis callosi brevitate atque a processibus zygomaticis nimium prominentibus causam ducentem. In animalibus quoque forma capitis corporis callosi extensionem indicat, quo fit, ut cranii apud eos longitudinem a latitudine superari reperiamus. Degenerationes corporis cal-

1

losi e capitis forma cognoscere non possumus, quum ipsam iis mutare non observatum sit.

Praecipuum corporis callosi morborum symptoma habendus est dolor totius capitis, nullam prae caeteris partem occupans, nisi fortasse frontem ac verticem; in permultis, quos inveni, casibus praeter dolorem nulla symptomata; casus, ubi dolore plane vacabat aeger raro occurrunt. Dolor oculorum omnium est rarissimus, sed capitis dolore ubi occurrit commitatus.

Sensorium raro laborat, visus saepius caeteris, deinde auditus et gustus, rarissime autem olfactus, potiusque imminuti, quam perversi erant; nec non pupilla interdum mutabatur, tum dilatationem, tum coarctationem perpessa. Oculorum musculi quoque afficiebantur, quum modo strabismus, modo intuitus stupidus et languidus sit observatus.

Organa motoria persaepe afficiuntur. Spasmi clonici tonicis sunt frequentiores, interdum etiam in eodem aegre coniuncti occurrunt. Spasmi faciei muscolorum et mandibulae raro observantur. — Paralysis corpore calloso degenerato convulsionibus aliquanto rarius occurrit; extremitatum utriusque lateris paralysis raro, extremitatis tantummodo inferioris semel, musculorum colli et cervicis, ita ut caput in humerum delaberetur semel; in alio verum aegroto caput hinc illinc iactabatur. Saepius incedere vel pedibus niti aegroti non potuerunt, nunquam autem via diagonali vel retrorsum ingrediebantur vel in circulum agebantur, prout saepius in corporum quadrigeminorum et pontis Varoli degenerationibus observatum est, sed recta semper via incedebant.

Sensus turbatus dolore excepto frequentissimum est symptoma, saepiusque solum absque omnibus symptomatis aliis observatur. Stupore nimirum persaepe aegroti opprimuntur, nonnumquam ad mortem usque protracto, inter-

dum vero periodice redeunte; suam ipsorum simul conscientiam amittunt aegri in maiori casuum numero modo redituram, modo non. Somnolentia, sopor, coma non minoris fere sunt frequentiae in corporis callosi degenerationibus symptomata. Delirium rarius occurrit, nec nisi iam morbo magis minusve provecto. Memoria debilitata quoque aut amissa inter saepissima habenda est phaenomena ad corporis callosi morbos spectantia, ita quidem ut nullius vitae ante actae partis meminerint aegri. Et insania occurrit, mania vero rarior, quam amentia. Adsunt quoque casus, ubi vertigine molestissima vexabantur aegri.

Symptomata gastrica interdum reperiuntur; inter quae fastidium, vomiturítiones et ipsi vomitus interdum biliosi denotantur; praeterea appetitus ciborum imminutus, lingua interdum sicca, interdum vario modo obtecta, alvus obstructa diarrhoea, haec quidem minoris frequentiae, deinde abdomen sub pressu dolens, dolor interdum pleuriticus.

Systema uropoëticum rarissime exhibet symptomata; systema sexuale verum nunquam afficitur corpora callosa laborante.

Circulus sanguinis non semper incolumis. Pulsus interdum debilis, intermittens et frequentissimus usque ad centum nimirum et quadragrinta ictus. Inquies et somnus turbatus raro tantum observantur.

Vires corporis callosi morbis parum affici videntur, quum non desint casus, ubi incolumes fere perdurabant, nec corpus emaciatum, sed bene erat nutritum.

Mortem saepius antecessere convulsiones, interdum respiratio difficilis, omnium frequentissime autem sopor; nonnulli quoque aegroti mortem perpessi sunt apoplecticam.

Corporis callosi morbis etsi casuum collectorum numero longe maximo corporis aut animi functiones, aut unam earum, aut plures aliquid capere detrimenti liquеat, tamen

non desunt casus praesertim morborum sensim exoriundorum aut sensim increscentium, qui sine ullo symptomate graviori sint tolerati. Morbi nonnulli contra repente exorti, aut brevi tempore ad magnum perducti gradum celeriter enecant aegros, degenerationibus licet per spatium multo minus extensis.

Aetiologia.

Omnes vitae aetates ad corporis callosi morbos inclinant, maxima autem annum inter vicesimum et quadragesimum consistere videtur dispositio, — secundum obtinet locum aetas iuvenilis, minimam autem dispositionem aetas iuvenilis praebet. Aegrotarum numerus ab aegrotarum quidem superatur, sed non nimium, ita ut sexus parvi in corporis callosi morbis momenti esse videatur. Constitutio verum nulla neque temperamentum ullum praedispositione quadam excellit, quum nullum saepius altero aegrotans reperiamus. — Causae praedisponentes plerumque inveniuntur scrophulosis, menses suppressi, abdominis et praecipue aliarum cerebri partium morbi. — Causae occasionales sunt spirituosa et causa violenta, praecipue in frontem et verticem agens.

Irritatio.

Casus, quos huc numerandos iudico, sunt physiologici. Experimenta instituit Zinn 1, 2, 3, 4, 5) in canibus. Instru-

1) Zinn experim. quaedam circa corpus callosum, cerebellum et duram meningem in vivis animalibus instituta.

2) eodem loco. 3) eod. loco.

4) eodem loco. 5) eod. loco.

mentum trois - quarts dictum primi quidem canis mediocris magnitudinis per anteriorem capitis partem supra sinum longitudinalem adactum per totam cerebri molem traiecit, ut in baseos cranii ossibus firmiter infixum haereret ibique reliquit. Idem instrumentum per secundi canis maioris caput paulo posterius supra sinum longitudinalem traiecit eodemque loco reliquit. Tertio in cane ne apoplexia ob effusum ex sinu sanguinem erperimentum turbaret, instrumentum in dextro capitis latere a dextris sinistrorsum adactum est. In quarto experimento idem instrumentum per dextram capitis partem catuli iunioris a dextris sinistrorsum immisit. Canis quinti corpus callosum duobus ictibus laesit.

Saepius sub initium nulla plane symptomata exorta 1, 2, 3, 5) ita ut alacre animal omnes sentiret irritationes, capite erecto huc et illuc circumspiceret 1, 2) et latratui alius canis responderet 2). Magni edebantur motus ad libertatem recuperandam 3) vita per viginti quinque horas duravit, canis semper veges, alacis, nulla in parte paralyticus, ultimis tantum horis prae aestu et dolore languidior 3). Duobus corpore ictibus laeso primo vulnere canis vinculis liberatus ita libere incessit, ac si omnino illaesus fuisset, nec altero ex ictu multo peius se habuit. Postridie paulo quidem languidior sensu tamen motuque integer fuit 5).

Symptomata sensibilitatis laesae raro occurrunt 1, 4) sopor post aliquid temporis spatium per quinque horas durans, e quo leni irritatione vel strepitu quodam canis expergefactus, statim autem in somnum relapsus. Stupor subito exoriebatur, post aliquot tamen horas evanidus, ut per noctem vicini latratum illius audirent 4).

Organa motoria laborabant 1, 4) quum postridie mane canis altero latere esset paralyticus, multo tamen vegetior,

quam fuerat pridie 4); musculi dextri lateris paralysi correpti erant quinque horas perdurante 1)

Saliva ore profluxit semel tantum 1).

Pressus in corpus callosum agens.

Casus afferunt Gall 1) La Peyronie 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8) Arnemann 9) et Zinn 10). Quatuor in casibus corpus callosum pure premebatur 1, 2, 3, 9). Semel tabula plumbea oleo illita imponebatur 10).

Visus saepius laboravit 2, 9, 10). Acies oculi alterius obhebetata, post tres dies plane extincta; pus autem corpus callosum premens simulac evacuatum est, visus rediit, caecitas autem iterum exorta, simulac puris copia adaucta est. Fluido quodam iniecto symptomata movebantur eadem, quae ipso pure 2). Oculus oppositi lateris laborabat eo magis, quo maior puris copia. Tabula plumbea imposita corpori calloso eandem effecit visus iacturam 10).

---

1) Gall sur les fonctions du cerveau §. 408.

2) La Peyronie suite des mémoires de mathematique et physique, tirées des régistres de l'académie royale des sciences de l'année 1741 p. 291.

3) Eodem loco pag. 292.

4) Eodem loco pag. 294.

5) Eodem loco pag. 295.

6) Eodem loco pag. 296.

7) Eodem loco pag. 297.

8) Eodem loco pag. 297.

9) Iustus Arnemann experim. de regeneratione tom. I. p. 174.

10) Zinn experim. quaedam circa corpus callosum, cerebellum et duram meningem in vivis animalibus instituta

Dolor etiam saepius observatur variis in locis sedem habens, in oculo extincto 2) sub pressu crescit 2), vivus erat est dolor et subitaneus in interna lateris sinistri capitis parte, de quo magnis clamoribus querebatur aeger 4), interne sentiebatur vivus in parte dextra et anteriore capitis eundemque locum sub initium manu petebat, magnopare increvit perque horae dimidium duravit. In anteriore capitis parte dolor vivus sentiebatur 6) per aliquot dies durans 7, 8) quem insecutus est dolor subitaneus lancinans et vivus in parte laterali sinistra, sub mediam suturam coronariam ossis bregmati sinistri.

Gravitas capitis raro occurrit; oculum obtinet et sub pressu crescit 2)

Facultas sentiendi saepius varioque modo peccat. Caeterorum sensuum usus fere nullus, quem postea sensibilitas totius corporis insecuta est maxima 2), pure arte remoto sopor evanuit et denuo accumulato rediit 2). Simulac abscessus cavitas fluido quodam iniecto impletus est, aeger rationem sensuumque usum perdidit, utrumque autem ei reddebas, materiam iniectam arte removens 2). Quum specillo, cui nomen est meningophylax, fieret exploratio, solo ipsius huius instrumenti pondere eadem symptomata revocari cognitum, eaque evanescere quum retraheretur 2). Aegroto per aliquod tempus e pedibus suspenso ita, ut caput deorsum tenderet abscessusque evacuaretur, ratio et sensuum usus redibant 3); conscientiam perdidit et facultates animi sensim sensimque extinctae sunt etsi per tempus modo 4), sensuum usus dolore vehemente antecedente plane nullus solique adhuc restabant cordis et respirationis motus, perdebiles quidem et maxime impediti 5). Ipsius conscientiam amissam postremo sensuum usus iactura insecuta 6); conscientia sensim perdita ita, ut in soporem aeger incideret lethargicum 7, 8)

per tempus modo durantem 7) post tres dies mortem afferentem 8).

Motus peccabat 3, 4, 6) magnam dextri lateris membrorum debilitatem, postquam ipsius conscientia redierat, insecuta est eiusdem lateris paralysis paulo post maximum nacta gradum; paralysis pedum femorumque ita ut in pedes erigi aeger non amplius posset, in dies ad brachium sinistrum progrediebatur et ultimo vitae die lateris sinistri paralysis totalis fiebat. Etiam pressu tabula plumbea imposita parato exoriebatur paralysis 10). Convulsiones semel observabantur; quum profundissimo stupore aeger prostratus cubaret, subito concussus expergefiebat 6). Insultus epileptici raro adfuere, rigiditas artuum et deinde tremor pure evacuato cessantes 3).

Numerus aegrorum, qui restituebantur, mortuorum multo minor. Restituebantur 2, 3) mors plerumque insecuta diem tertium inter et quintum: tertio 4) quarto 5, 6) quinto 7).

Commotio.

In unico casu a Burdach allato nullum symptoma nisi cephalea notatur.

Inflammatio.

Casus affert Lallemand 1, 2). In casu primo symptomata observata sunt haecce: Cephalea, memoria debilitata, delirium, convulsiones totum corpus occupantes, modo evanescentes, modo redeuntes, paralysis extremitatum oppositi lateris simul cum rigore et dolore harum partium. Post qua-

1, 2) Recherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale par Lallemand. Tom. III. pag. 274 seqq.

tuor dies aegrotus obiit. — Alter aegrotorum brachii lateris oppositi debilitatem praebuit, cephaleam, rigiditatem praecipue membrorum paralyticorum. Et in hoc casu symptomata saepius intermittebant. Adfuit practerea catarrhus pulmonum, enteritis, febris et alia circuli sanguinis turbati symptomata. Mors insecuta est die trigesimo tertio.

Suppuratio.

Observationes huc spectantes inveniuntur apud Treviranum 1) et la Peyronie 2, 3, 4, 5). Memoriae iactura observabatur 1, 2), valetudinem per semestre turbatam insecuta est 1), animus deficiens per tempus 2), interdum remissio dies complures perdurans, interdum per temporis momentum memoria aeger gaudebat integra, post sex autem menses plane evanuit memoria 2), iam biennium ante mortem deficiebat 4); imbecillitas animi adfuit 5).

Capitis gravitas bis adfuit 2, 4), exigua, sensim in soporem transiens 4).

Delirium pluries rediens semel observabatur 4).

Cephalea bis adfuit gravior, ita ut ea exacerbante rationes usus nullus, evanescente autem rerum solum praesentium relicta esset ratio, neque quid pridie, neque quid iuveni sibi acciderit memoriae reddere posset aegrotus 4).

---

1) Biologie, pag. 158.

2) La Peyronie suite de mémoires de mathématique et physique, tirées des régistres de l'académie royale des sciences de l'année 1741 pag. 288.

3) Eodem loco pag. 288.

4) Eodem loco pag. 289.

5) Eodem loco pag. 290.

Sensus affecti fuere ter 2, 3, 4). Sopor satis gravis, animum deficientem insecutus 2), sensus in dies debiliores facti, ita ut iis uti non amplius aeger posset. Sopor sub finem factus est lethargicus 2), per aliquot dies increvit ita, ut rationis et sensuum usum impediret 3), post cephalcam exortus est, et per aliquot menses increvit sensuum usum imminuit et paulo post plane extinxit 4).

Convulsionibus epilepticis interdum per totum morbi decursum aeger obnoxius erat 4, 5), per horae spatium durantibus 4).

Suppurationis corporis callosi igitur frequentissima phaenomena sunt stupor, animus debilis et amentia, rariora paralysis universalis, extremitatis utriusque eiusdem lateris et delirium.

Aetiologia.

Numerus aegrotorum maior aegrotarum. Aetas virilis prae caeteris huic morbo est obnoxia. Inter causas corporis callosi suppurationem moventes praesertim causae violentae frontem et verticem ferientes aliarumque cerebri partium morbi notantur.

Mollities.

Observationes huius morbi instituere Rochoux 1), Bouchet et Cazauvieilh 2), Lallemand 3, 4, 5, 6), Abercrombie 7),

1) Rochoux récherches sur l'apoplexie pag. 327.

2) De l'épilepsie, considerée dans ses rapports avec l'aliénation mentale par Bouchet et Cazauvieilh. pag. 9.

3) Récherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale par Lallemand Tom I. pag. 179.

Andral 8, 9, 10), Mursinna 11), Tacheron 12), La Peyronie 13, 14), Greding 15, 16, 17, 18, 19), Duncan 20), Parent et Martinet 21), Loder 22), Morgagni 23).

Mollitiem sine ullo symptomate graviori occurrere et ne membrorum contractiones quidem movere dicit Rochoux. Convulsiones epilepticae exoriebantur 2, 4) cum cura scabiei fieret. Accessiones rarae erant, quoties aegrota fungeretur mensibus, sed conditio quaedam morbosa remanebat per

---

4) Eodem loco pag. 184.

5) Eodem loco Tom. III. pag. 162.

6) Eodem loco pag. 162.

7) Pathological and practical researches on diseases of the brain and the spinal cord by John Abercrombie pag. 101.

8) Andral praelections sur les maladies des centres nerveux. Num. 48. pag. 211.

9) Eodem loco.

10) Eodem loco pag. 331.

11) Mursinna's Beobachtungen p. 12.

12) Tacheron III. pag. 405.

13) La Peyronie, suite de mémoires de mathématique et physique, tirées des régistres de l'academie royale des sciences de l'année 1741 pag. 210.

14) Eodem loco pag. 211.

15) Greding II. pag. 381.

16) Eodem loco pag. 391.

17) Eodem loco pag. 436.

18) Eodem loco pag. 441.

19) Eodem loco pag. 782.

20) Duncan, Auserwählte Abhandlungen für Aerzte XXVII. p. 526.

21) Parent et Martinet pag. 425.

22) Loder's Journal X. pag. 167.

23) Morgagni Ep. LXII. Art. 15.

octo aut decem dies; convulsiones levioris erant gradus et extremitatem et inferiorem et superiorem lateris dextri sub instantem mortem occupabant 2). Oppositum latus obtinebant et paraplegiam sensim adauctam eiusdem lateris provocabant simul cum musculorum contractionibus 5). Motus membrorum nullus 6); nullo autem modo turbatus 8); brachium alterius lateris contractione et rigiditate affectum, quas, quum evanuissent, contractio musculorum colli sequebatur, ita ut capitis exoriretur supinatio 10). Brachium dextrum paralysin praebebat totalem, ita ut sensus in illo et motus plane abolirentur 10).

Sentiendi facultas pluribus in casibus abnormis 2, 3, 6, 7, 8). Stupor aliquot dies ante mortem 2), somnolentia, narcosis, sensibilitas diminuta, responsa difficilia 3), coma profundum 6); quem edebat aeger sermo ineptus erat et segnis, deinde coma profundum sequebatur pupillis dilatatis 7). Coma demum sub mortem instantem intravit 8, 10). Insania et mania aderat quoque 18, 19), imbecillitas animi et amentia 16, 17), sentiendi facultas turbata, tristitia nimirum et melancholia, loquendi et ipsius vitae fastidium et anxietas 22), delirium 21).

Vertigo, sed raro solum incidens, et subitanea in terra prostratio 2).

Intellectus, quatenus percipi poterat, integer et responsa apta 2), garrulitas modo, verbis verum nexu carentibus, modo somnolentia, modo clamores 4).

Semel tantum circumstantia aegrotus conspicere sibi visus duplicata. Strabismus cum retractione musculorum alterius faciei lateris observabatur 10).

Vires modo exigitatae, modo languentes 4), debilitas subito oriunda, ita ut aeger incedere non posset 7), post duo autem dies pedum usum partim recuperavit, ita quidem, ut si altero latere eum fulcires, incedere posset, non

sine debilitate et difficultate, quum pedum praecipue dexter tarde elevaretur. Vespere oppressus fuit aeger et interrogatus responsa difficilia et submissa voce dedit 7).

Dolor variis locis variique generis observatus. Cephalea et dolor pleuriticus in latere sinistro 3), dolor, gravitas et rigiditas membrorum lateris oppositi 6); dolor tantum caput obtinens 7), post breve tempus evanescens, deinde post aliquot horas vehementissime rediens et durans 7); interdum solum peracutus et vehemens e regione modo temporali ad eandem oppositi lateris pergens 8). Senn symptoma pathognomonicum adiicit, aegrotum omnis pressus vel minimi esse impatientem, ita ut exempli gratia abdomine presso peritonitidem vel alius organi abdominis inflammationem suspicari liceat acutam 9). Cephalea aderat quoque 10, 15).

Symptomata gastrica nonnumquam observata 2, 3, 4, 6, 7, 10). Diarrhoea, vomitus, ascites, peritonitis chronica 2), alvus obstructa, nausea saepius rediens, lingua albide obtecta, abdomen non dolens 3), irritabilitas abdominis ad sensum adaucta, lingua sicca, alvus obstipata 4), alvus obstipata cum deglutitione maxime impedita, respiratione autem sana 6); vomitue voluntarii et biliosi 6); vomitus cephaleam permagnam insecuti saepiusque repetiti et nauseae aliquid relinquentes 7). Dolor abdominis cum vomitu bilioso per duo aut tres dies perdurante 10).

Febris observata 4, 5, 6); pulsus interdum non sibi constans 4); circulus sanguinis turbatus 5); facies rubefacta, livida, pulsus centum quadraginta ictuum 6); horripilatio, cutis sicca et arida, pulsus non nimium plenus, octoginta inter et centum ictus, lingua sicca, pupillae normalis magnitudinis, respiratio aliquantum brevis et accelerata 7); febris tandem 10).

Duobus in casibus in mulieribus observatis etiam sy-

stema sexuale peccabat, quum per longum tempus menses essent suppressi.

Delirium ter observatum 4, 7, 8); noctu solum 7), simulcum difficultate loquendi 8).

Mors insecuta est semper fere. Coma morti antecessit saepius 3, 7, 8, 9), convulsiones raro 2). Fines morbi accurate statui nequeunt, quum a primis inde symptomatis ad mortem usque tum paucorum esset dierum, tum annorum spatium.

Symptomata mollitiei itaque frequentissima invenimus cephaleam, delirium et stuporem; deinde spasmos universales et epilepsiam; deinde animi imbecillitatem et amentiam; inter rariora habenda sunt apoplexia et paralysis membri utriusque eiusdem lateris; omnium rarissimi observabantur sensus turbati, insania, mania et extremitatum inferiorum paralysis.

Aetiologia.

Aegrotorum numerus maior aegrotarum. Praecipue aetas iuvenilis hoc morbo laborat, sedetiam caeteris in aetatibus occurrit. Inter causas frequentiores habendae sunt laesiones capitis in ossa bregmatis verticem et frontem agentes, menstrua et exanthemata suppressa.

Induratio.

Ad hunc morbum cognoscendum observationes adhibendae sunt, quae sequuntur, tres a Bouchet et Cazauviellh 1),

---

1) De l'épilepsie considérée dans ses rapports avec l'aliénation mentale par Bouchet et Cazauvieilh pag. 19.

et ab Andral 2, 3) allatae. In casu a Bouchet et Cazauvieilh narrato epilepsia observabatur accessiones faciens modo quotidianas, modo plures per diem; prodromi nulli antecessere. Excretiones alvi et vesicae involuntariae; imbecillitas animi vel amentia; post insultum epilepticum morositas insequebatur et iurgiositas. Insultibus epilepticis frequentioribus factis mors insecuta est. Symptomatis modo commemoratis saepius gastricismus accessit. — Andral de puella narrat duodecim annos nata, quae usque ad annum decimum nonum, quo primum fungebatur mensibus, ternis mensibus insultu epileptico vexabatur, sequentibus autem annis ternis hebdomadibus iam redeuntibus. Ab anno inde vicesimo primo cephalea vehemens binis fere mensibus rediens accessit, omnis vero cum insultibus epilepticis expers nexus. Annum inter vicesimum quartum et quintum cephalea decrescens typum sequebatur periodicum, deinde perpetua facta est et obtusa, praecipue in regione frontali cum sensu gravitatis maxime molesto. Insultus epileptici augebantur simulque intellectus huc usque integer perturbari coepit. Mutabatur primum animi dispositio, ita ut primum exoriretur perversitas, paulo post autem debilitas, quae tempore ad maximum devenit gradum, symptomatis epilepticis simul ternis diebus et nonnumquam pluries eodem die redeuntibus. Menses ab anno inde decimo nono suppressi, postquam aliquoties solum iis perfuncta erat aegra. Examine instituto imbecillitas animi comprobabatur maxima. Sentiendi et movendi facultates numquam ullo mode laesae et corpus bene nutritum. Sopore profundo, qui accessionem epilepticam excipiebat gravissimam, obiit.

---

2) Clinique médicale par Andral, 2. ed. tom. V.

3) Cours de pathologie interne par Andral.

Hypertrophia.

Casus huius corporis callosi conditionis exstant tres a Burdach citati. Cephalea aderat et stupor ter, delirium bis, et semel tantum lapsus memoriae.

Atrophia.

Casus affert Andral 1), Haller 2), Klein 3, 4, 5), Greding 6). Cephaleam observarunt, imbecillitatem et amentiam, spasmos universales et epilepsiam ter, delirium bis, lapsum memoriae et idiotismum, paralysin membrorum universalem et apoplexiam semel.

Aetiologia.

Sexus uterque eodem fere modo laborat. Inter aetates infantilis et iuvenilis saepius caeteris commemorantur. Inter causas longe reperitur frequentissima hydrocephalus.

Tubercula.

Casum a Larcher 1) allatum inveni, ubi symptoma gravissimum notabatur chorea Sti Viti. — Tubercula corporis

---

1) Cours de pathologie interne par Andral.

2) Haller, disp. path. I. pag. 375.

3) Kleine Beschreibungen seltener Wasserköpfe p. 1.

4) Eod. loc. pag. 21.

5) Eod. loc. pag. 26.

6) Greding II. pag. 391.

1) Cours de pathologie interne par Andral.

callosi absque symptomatis peculiaribus exstitisse affirmat Andral 2).

Hydatides.

Aeger hydatidibus corporis callosi laborans subito stolidus factus est et ineptus, paulo postea apoplexiam perpessus est lethalem. Treviranus 1) etiam de hebetudine animi repente exorta et morte apoplectica narrat postremo insecuta.

Cancer.

Duos casus observavit Andral 2); in altero adfuit palpitatio cordis, cephalea et dolor oculi oppositi lateris. Postea accessit primum debilitas faciei musculorum et mox extremitatum; post aliquod temporis bulbi oculorum singulari modo tollebantur et deferebantur. Pluma in nares introducta non sentiebatur, auditus non turbatus, pupillae coarctatae. Symptomata gastrica non adfuere praeter vomitum. Altero in aegroto symptomata adfuere fere eadem.

Ulcera.

In unico, quem Treviranus 3) observavit casu aegrotus iacturam fecit memoriae biennum ante mortem. La Peyronie 4, 5) duos offert casus, et utrique stuporem adfuisse narrat.

---

2) Eod. loc.

1) Treviranus Biologie 158.

2) Cours de pathologie externe par Andral.

3) Treviranus Biologie pag. 158.

4) La Peyronie, suite de mémoires de mathématique et physique, tirées des registres de l'académie royale des sciences de l'année 1741 pag. 212.

5) Eod. loc. pag. 213.

Tumores.

In altero casuum animi functiones turbatae per biennium, ultimis sex mensibus animus prorsus hebes, somnus fere continuus. Expergefactus aeger et interrogatus responsa edebat nexu carentia. Escam non nisi coactus sumebat. — In altero aegroto symptomata nulla, quibus cerebri morbum suspicari licuerit, observata 6).

Tumores commemorati, cuius fuerint indolis accuratius eruere non poteram.

Haemorrhagia.

Sanguinis quidem extra vasa effusi exempla afferunt Hutchinson 1), la Peyronie 2, 3, 4, 5, 6), Andral 7), Mohrenheim 8), Lancisi 9). Dolor capitis modo evanescens, modo rediens 1), sedecim ante mortem dies totum caput ac cervicem obtinens 2).

Obnebulatio visus intermittens observabatur 1).

Sensibilitas semper fere laborabat; paene extincta erat, sed tamen quae porrigebantur sumsit aegrota et conamina fecit loquendi. Breve tempus ante mortem responsa dabat

---

6) Medico-Chirurgical transactions. Volume IV.

1) Hutchinson medico-chirurgical transactions.

2, 3, 4, 5, 6) La Peyronie, suite de mémoires de mathématique et physique tirées des régistres de l'académie royale des sciences de l'année 1741 pag. 214—217.

7) Cours de pathologie interne par Andral.

8) Mohrenheim's Beobacht. I. pag. 95.

9) Lancisi, de subitanea morte pag. 160.

distincta 1). Aegroti omnes, de quibus narrat La Peyronie stupore affecti fuere 2, 3, 4, 5).

Motus organa tum paralysi 1, 7) tum convulsionibus 1) laborabant. Paralysis lateris oppositi et sedecim ante mortem dies quoque alterius, caput in humerum dextrum delapsum ita ut erigi non posset 1). Paraplegiam extremitatum universalem frequentissimum ac gravissimum symptoma censet Andral 3). Convulsiones sub finem demum oriundae, subitaneae 1).

Mors plerumque post breve temporis spatium instabat, semel verum sex fere menses post prima symptomata accidit 1), postquam per tempus in melius conversa erat conditio, ita ut ad sanitatem fere integram redierat aegra.

Symptomata huius morbi frequentissima erant paralysi extremitatis utriusque eiusdem lateris, deinde spasmi universales et delirium; rariora cephalea, stupor, animus debilis et amentia, memoria aut partim aut plane amissa, spasmi oculorum, faciei et mandibulae musculorum, trismus et stridor dentium.

Aetiologia.

Numerus feminarum hoc morbo aegrotantium virorum fere adaequat. Aetas virilis saepius laborat caeteris. De causis frequentioribus praeter capitis laesiones nil certi statuere licet.

Serum effusum.

Unicus mihi obvenit casus seri in corpore calloso effusi cum memoria debilitata et deinde amissa coniunctus.

Ossificatio.

Tres exstant casus, ubi concrementa ossea et lapidea in

corpore calloso inveniebantur, a Mursinna allati 10). Symptomata nulla nisi dolorem adfuisse fertur. Merito dubitamus huic symptomati morbus, de quo sermo est, causa subfueritne. —

Caeteris in pseudoproductionibus symptoma gravissimum ac frequentissimum colligendum est stupor, tum delirium et cephalea, rarissima sunt spasmi universales et epilepsia, spasmi faciei musculorum, rigiditas musculorum oculi utriusque, apoplexia, animi imbecellitas et amentia, sensus turbatus, paralysis extremitatum solum inferiorum et perturbationes systematis uropoëtici.

Situs abnormis.

Interdum in cadaverum sectionibus suturam longitudinalem talem observamus, qua cerebri hemisphaeriis magnitudo contingat inaequalis. Cuius rei etiamsi non in solo corpore calloso causa sit quaerenda, magnam tamen in partem eam ob illo dependere negari nequit. Interdum in hominibus huiusmodi cerebro praeditis observatae erant animi facultates non incolumes, et imprimis Bichat haemisphaeriis cerebri volumen inter se inaequale praebentibus certissimum animi conditionis haud sufficientis signum dari confirmavit; sectionibus autem in insanorum nosocomiis factis opinio modo dicta parum est comprobata. Bichat verum ipso, qui magnopere ingenii excellabat acumine, demortuo sectio instituta eademque cerebri conditio, eaque maiorem quam in caeteris nacta gradum reperiebatur.

Disiunctio intermedia.

1. Partialis.

Instrumento trois-quarts dicto per canis totam cerebri

---

10) Mursinna's Beobacht. pag. 115.

molem traiecto, deinde remoto animal eiulavit et vomuit. Musculi dextri lateris plane paralytici, ut nec motus, nec sensus superessent; sopor profundus; et quamvis altioris gradus irritatione excitari posset animal, excitatum tamen stupidum se praebuit, brevi post sopore denuo oppressum. Pulsus febrem exhibuit et mors post duodecim horas secuta est.

Perforatione corporis callosi eodem instrumento instituta bis observatus est stupor et paralysis alterius lateris, ter vero languor absque aliis symptomatis.

2. Totalis.

Casus afferunt Zinn 1) et Magendie physiologicos 2, 3), pathologicum 4).

Corpus callosum duobus in canibus secundum sinus longitudinalis decursum dissecabatur 1, 2); canis tertii ex effuso intra cerebrum sanguine apoplectici, vivi, cranio serra diviso cerebrum lamellatim excindebatur ad corpus callosum usque, corpus callosum ipsum ventriculis apertis dissecabatur 3).

Praecipuum huius morbi symptoma animus fuit hebes, sed non adeo, ut vetuerit, quominus ad negotia domestica et usitata apta fuisset aegra, quum nimirum per multos annos viatricis munere satis bene perfungeretur 4). Canes, de quibus supra diximus, modo quiete se habuere 3), modo in stuporem incidere 2, 3), membra vehementer conquassata sunt, singultus, evacuatio alvi, tactus olfactusque iactura adfuere 2), motus non turbatus 3).

---

1) Zinn experimenta quaedam circa corpus callosum, cerebellum et duram meningem in vivis animalibus instituta.

2, 3, 4) Précis élémentaire de physiologie par Magendie, tome II. pag. 336 sqq.

Defectus.

1. Partialis.

a) Partis anterioris.

Casum affert Lallemand 1), in quo idiotismus observabatur maximum assecutus gradum, motus non impeditus, omnis autem ratio abolita. Caput hinc illinc agitabatur et incedere aegrota non potuit. Olfactus plane nullus videbatur, sensus ceteri autem integri. Minas sibi factas bene intellexit et famem verbis quibusdam satis bene pronunciatis indicavit.

b) Partis mediae.

Duo exstant casus a Trevirano 2) allati. In altero idiotismus adfuit inde a nata puella. Aegra nullo modo pedibus insistere potuit. Membra contracta, interdum autem maxima motuum inquies. Clamores saepius ad verborum sonum et rationem non redigendi. Obiit aegrota variolis affecta. — In altero aegroto animi aciem obtusam mortemque apoplecticam refert 3).

2. Totalis.

Corpus callosum prorsus deficiens sui conscientiam et functiones sensuum exhibuit abolitas motusque voluntarios nullos 4). — Columba cerebro orbata, integro tamen cerebello tantam pedum debilitatem probavit, ut in pedes erigi nequiret, cibum vero in os immissum deglutivit 5). — In casu a Lorry 6) observato stupor non aderat etsi corpus callo-

1) Recherches anatomico-pathologique's par Lallemand Tome III. pag. 247.

2) Treviranus Biologie pag. 156.

3) Eod. loco.

4, 5) Zinn experimenta quaedam circa corpus callosum, cerebellum et duram meningem in vivis animalibus instituta.

6) Lorry mem. press. III. pag. 358.

sum plane destruxerat. — In exprimento a Gall 7) instituto animal quiete se habuit et quum excitaretur recta, prout mos est, via incessit. —

Corpori calloso itaque utrum functiones quaedam peculiares sint attribuendae, nec ne, et quaenam praecipuae, neque symptomatis morborum eius, neque causis eorum coniicere licet. Frequentissima quidem occurrunt stupor, convulsiones, paralysis, dolor, quorum quodque solum interdum symptoma observatur. Cuius rei causa potissimum habenda est per multos scriptores opiniones de corporis callosi actionibus secutos esse in tam diversas partes discendentes. Gall exempli gratia in linea media sensum positum esse, quo res memoriae tradantur censet, nec non meditationem et superbiam; in latere utroque sensum, quo numeri, formae, loci et colores memoriae tradantur, ponit. Chopart sensum internum praecipue corpori calloso attribuit, quum eius laesionibus omnium cerebri organorum sensus internus saepissime amittatur. La Peyronie hanc partem sine perturbatione animi functionum unquam laedi posse negat. Etiam alii sunt, qui totam vitam psychicam ad unicum corpus callosum referant. Zinn corpus callosum abnorme omnium saepissime amentiam efficere dicit, trunco cerebri excepto. Memoriam a solis corporibus quadrigeminis, thalamis nervorum opticorum et a cerebello magis, quam a corpore calloso dependere alii contendunt. Stupor in solius fornicis ac septi pellucidi laesionibus saepius occurrit, quam in corporis callosi. Lorry cerebello, ponte, corporibus striatis et cerebri involucris laesis amentiam saepius occurrere dicit, quam corpore calloso. Meditationem difficilem sensu quodam pressus in regione frontis ac verticis comitatam esse

---

7) Gall sur les fonctions du cerveau pag. 395.

CURRICULUM VITAE.

Natus sum ego Fridericus Erley pago in comitatu Marcano sito, cui nomen est Roensal, anno huius saeculi duodecimo patre Mauritio, et matre Ludovica e gente Sasse, quam ex annis iam morte ereptam lugeo. Confessioni addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis a patre carissimo imbutus, archigymnasium Susatense, quod hucusque directore cl. Patze florat, frequentavi per triennium et semestre. Testimonium maturitatis nactus Marburgum petii, ibique a cl. De Sybold t. t. prorectore magnifico in numerum civium academicorum et in ordinem medicinae studiosorum receptus sum. Per biennium in ista alma literarum universitate commoratus domum reversus ibique per semestre ob malam valetudinem commoratus sum. Postea Bonnam me contuli, ibique ab ill. Naeke, t. t. prorectore magnifico civibus academicis et ab ill. E. Bischoff, t. t. decano spectatissimo, ordini medicorum adscriptus per annum scholis medicis interfui. Deinde iterum post absentiam per semestre reversus et ab ill. Wutzer t. t. rectore magnifico, civibus academicis et ab ill. Naumann t. t. decano spectatissimo ordini medicorum iterum adscriptus praelectiones medicas frequentavi.

Haec sunt, quas audivi praelectiones:

I. *Philosophicae.*

De psychologia disserentem audivi ill. Seugler; de logice

ill. van Calker; de botanice et de plantis quibus ad medendum utimur ill. Wenderoth; de zoologia ill. Goldfuss; de mineralogia ill. Hessel; de physice experimentali beat. a Münchow; de chemia experimentali et de educatione hominis physica ill. Wurzer.

II. Medicae.

Praeceptores mihi fuere in Anatomia speciali ill. Buenger, Mayer et Weber; in anatomia generali ill. Buenger; in situ viscerum ill. Weber; in physiologia semiotice atque anatomia pathologica ill. Heusinger; de pathologia generali ill. Heusinger et Naumann; in iamatologia ill. E. Bischoff et Harless; in arte formulas medicas conscribendi, in medicina forensi et in epizootiis ill. E. Bischoff; in chirurgia, in operationibus chirurgicis, in ophthalmologia, in arte fascias applicandi et in anatomia chirurgica ill. Wutzer; in ossibus fractis et luxationibus, in operationibus in oculis instituendis et in instrumentis chirurgicis ill. H. Nasse; de therapia generali ac speciali, in physiologia et pathologia cerebri, in educatione medici, et in anthropologia ill. Fr. Nasse; in arte obstetritia, in instrumentis et in uteri et infantum morbis ill. Kilian.

In practicis exercitationibus duces mihi fuere: in clinico propaedeutico ill. H. Nasse; in clinico et policlinico medico, et in disputationibus de morbis periculosis ill. Fr. Nasse; in clinico et policlinico chirurgico et ophthalmiatrico ill. Wutzer; in clinico et policlinico obstetricio et in operationibus in phantomate exercendis ill. Kilian; in cadaveribus dissecandis ill. Buenger; in operationibus in cadaveribus exercendis ill. Wutzer.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, maximas quas possum, ago gratias, semperque habebo.

THESES.

1. *Differentia est absoluta inter naturam organicam et sic dictam mortuam.*
2. *Nulla morborum cutaneorum cura probanda, nisi quae cutis conditionem vitalem respiciat.*
3. *Vomicae pulmonum, etiam vacuae factae, non semper pectore loquente, neque tussi aut respiratione cavernosa produntur.*
4. *Curatio hydroceles per excisionem semper est tentanda.*
5. *Perforationem, foetu vivo, instituere licet.*
6. *Sectio cesarea et invita matre instituenda.*